

Transfusoriâ primùm detectâ, sed eas inutiles efferectissimè judicat supra laudatus *Clauderus*: cum facilè accidere possit, ut nonnulli simul unum & idem meditentur ac inveniant, licet diversis in locis degant, nec literario utantur colloquio. Quid verò de verbis illis *Andree Libavii*, quibus Chirurgiam Infusoriam septuaginta jamdum abhinc annis descripsisse videtur, sentiendum sit, meum non est judicare. V. Citat. Dissert. de Tinctur. Univerf. c. 1. Quoniam autem de Infusoria dicere hic cœpimus, non adeò alienum erit, mentionem injicere Siphonis illius Anatomici, à *Regnero de Grâaf* Medico Delphensi, inventi, quo mediante per immisos quosdam in vasa liqvores coloratos, eorum divaricationes, omniumq; totius corporis arteriarum venarumq;ve propagines (quas antea addiscere & denudare difficillimum erat) exiguo labore & difficultate intra unius diei spatium demonstrari possunt. Hujus Siphonis usum in Anatomia ipse *Gravius* peculiari Tractatulo (qui sub finem Operum ejus Lugd. Batavorum ante hos annos duos junctim excusorum extat) descripsit. Sed cum interdum in majorum viscerum, in quibus sanguis tenaciter restitat, magnâ opus sit aquæ inundatione, & sæpius iteratis injectionibus, *Cl. Caspar Bartholinus*, alio instrumento huic siphoni superaddito effecit, ut brevissimo temporis spatio vel integra aquæ amphora exhauriri, & ita citissimè omnis sanguis ex partibus elui possit. Ut neutiqvam opus sit cum tædio & summâ temporis jacturâ, ad singulas injectiones, quoties siphon, tubulo vasis alligato affixus, aquâ replendus est, eundem ex tubulo extorquere, & mox aqua nova repletum iterum toties applicare, quoties nova injectio repeti & tentari debet. Hujus perfectioris instrumenti ampliorem usum explicat *Bartholinus* in Tractat. suo de præparationibus viscerum per Injections Liquorum, Parisiis, Anno 1676. edito, postea verò Editioni tertiæ *Cultri Anatomici Michaëlis Lyseri* subjuncto; quem vide.

(70.) V. Acta Angl. & Ephem. Erud. quàm plurimis in locis, nec non peculiarem Excell. Dn. *Sturmi* Dissert. in qua Transfusi Sanguinis Historiam, Methodum ac Artificium, Effecta item & Phænomena succinctè proponit.

(71.) Qui inscribitur de Ortu & Occasu Transfusionis sanguinis.

(72.) V. *Matthie Tilingii*, *Rintelii* Medicinæ P. P. Orationem Inauguralem, de novo in Anatomia paucis abhinc annis exorto lumine, ibid. excusam.

G

(73.) V.